

1732 36
73

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
PROBATIONE
IN
CRIMINALIBVS SPVRIA

QVAM
INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE
ACADEMIAE PROFESSORE AC DIRECTORE

Dn. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO, ICTO
POTENTISSIMO REGI PORVSS. A CONSILII INTIMIS
ET ORDINIS ICTORVM VICARIO PRAESIDE P.P.

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO AETERNV M COLEND O

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE CAPESSENDI HONORES

D. NOVEMBR. MDCCXXXII.

H. L. Q. C.


ERVEDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
ARNOLD ENGELBERT BVSCHMANN
RVGIANVS.




HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGRAPHI.

MDCCXLV.

(6)





DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
PROBATIONE
IN
CRIMINALIBVS SPVRIA.

§. I.



Mne in criminalibus fert pun-
Etum legitima probatio vel crimi-
niis vel innocentiae, quæ proinde re-
cte ad substantiam iudicij refertur.
Si accusator prorsus deficit in
probando, reus absoluendus,
quem secundum iura condem-
nare non licet, nisi confessum aut
legitime conuictum. *I. f. C. de custod-*
reor. Ita recte rationes subdu-
xit CONSTANTINVS M. in *I. i. C. Theod.* quorum appell. non
recip. constituendo, prouocationes eorum non esse sus-
cipiendas, quos confessio propria vel dilucida & probatissima per probatio-
nes dilucidas. *veritatis questio probationibus atque argumentis detexerit.*
His idem imperator principiis instruxit iudicem, que-
stionibus præpositum, atque in *I. 16. C. de penit.* ita cavit:

A 2 qui

DE PROBATIONE

qui sententiam latus est, temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat seueramque sententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii criminis aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis vel interrogacionibus fuerint dediti, in unum confirante concordanteque rei finem, coniunctus sit. Testes olim quandoque torturis subjecti, ut sub tormentis veritatem dicerebant *I. 21. §. 2. D. de testib.*, ut nequidem clerici exciperentur, exceptis presbyteris, *I. 8. C. de episc.* quorsum collineat *CONSTANTINVS* in *cit.* *I. 16.*, de qua materia plenius agit *GVAZZINVS de defens.* reor. Verum hoc iam non ago, ut quae huc pertinent, enucleem: sufficit ostendisse, argumenta dilucida, manifesta & probatissima in criminibus desiderari, ut quis condemnari queat, praesertim si capitale supplicium condemnato imminet. Dilucida vero atque manifesta argumenta dicuntur, quae luce meridiana clariora, & ita comparata sunt, ut instar luminis cuiusvis animum de veritate rei informent, eumque conuincant, adeoque nulla obscuritate laborent, h.e. per rectam rationem facultatemque illam, qua rationes subducimus, & verum a falso separamus, clare & distincte cognosci & intelligi possint. Probatissima denique vel ideo appellantur, quod nullum dubitationibus locum relinquant, sed plene concludant, ut certitudo facti seu assensio firma intellectus nostri orta ex sensibilibus evidenteribus & rationibus adductis, inde nascatur, aduersus quas nullas amplius dubitandi rationes adferre queamus.

Certitudo facti vel assensio firma intellectus nostri orta ex sensibilibus evidenteribus & rationibus adductis, inde nascatur, aduersus quas nullas amplius dubitandi rationes adferre queamus.

§. II. Illa vero argumenta, quibus animus iudicis de veritate facti conuincitur, pariunt vel certitudinem absolutam, quae fallere nequit; vel moralem, quae in tali verosimilitudine consistit, quae quidem fallere potest, sed rarissime fallit, atque operatur, ut homines recta ratione

*Certitudo facti
vel assensio firma
intellectus nostri
orta ex sensibilibus
evidenteribus &
rationibus adductis.*

IN CRIMINALIBVS SPVRIA. 5

ne vtentes eitamdiu assensum praebeant, donec probe-
tur contrarium. *Absoluta certitudo facti vel rei operatur absoluta*,
scientiam, qua instructus, *certam* habet rei cognitionem,
quam demonstrare & deducere potest ex principiis indu-
bitatis, imo etiam *ex sensibus*, quod vel *inspectio ocularis*
demonstrat. Si ergo ex illa constat, virginem esse gra-
uidam & ex grauiditate partum edidisse, stuprum plene
probatur. *Moralis certitudo operatur opinionem vel fidem moralis*.
eiusmodi, qua instructi non possunt non assertioni af-
firmatiua vel negatiua assentire, vt vel ex depositione
testium duorum, omni exceptione maiorum, liquet.
Rarissime haec fallit, fallere tamen potest, si *mendacii*
testes conuinci queant, quod contigit in testibus, ho-
noratis admodum quidem, sed de falso conuictis in iu-
dicio contra Susannam edito. Interim etiam ex decre-
to diuino duobus testibus tamdiu *fidem* habere decet
in factis controuersis, donec fuerit contrarium euictum.
Talis fides admitti debet in *rebus facti*, qua logice de-
monstrari regulariter nequeunt, adeoque assensum me-
retur propositio tum propter *fidem* & *auctoritatem affer-
entis*, tum propter *rationem*, qua dicti sui certitudi-
nem firmat. Non aliter enim certa nostro animo in-
generari potest opinio & fides, quam si constat, tum
quod *possit* veritatem facti referre, tum etiam quod ve-
ra dicere *velit*, ex quibus duobus principiis fides testibus
conciliatur, vt plene in iudiciis quibuscumque probare
queant.

§. III. Sicuti vero probabilitatis varii sunt gra-
dus, prout argumenta, quibus efficitur, id suadent; ita
recteasseri potest, hunc esse sumnum eius gradum, qui
certitudinem moralem operatur, vt homines recta ratio-
ne vtentes ei assensum præbere queant, prout de *duobus*
testibus

A 3

Gradus certi-
tudinis sum-
mus,

infimus,

medius,

in recta ratio-
ne fundati.

testibus dictum, & de *documentorum* indubitatorum fide
constat. Infimus fidei gradus ex eiusmodi argumentis
trahitur, quæ *vt plurimum* fallunt, aliquid dubii tamen
relinquunt, & leuem *suspicionem* operantur, quorsum *fa-*
ma plerumque pertinet, quæ fallax & homines facile de-
cipit, interim *suspicioni* locum apud plerosque relin-
quit. Qui interrogatus pallet, suspectus creditur, na-
turalis tamen timor in causa esse potest, cur palleat.
Canonistæ illud exemplo clerici, in amplexibus mulie-
ris deprehensi, illustrare solent, quod non ex libidine, sed
animo benedicendi id facere credendus sit, quamuis non
omnis desit suspicio sinistra. *conf. c. 14. C. ii. q. 3. c. 8. D. 96.*
Inter summum & infimum collocandus est *medius* proba-
bilitatis *gradus*, qui veritati proprius accedit, non tamen
omni caret dubio, quod non raro fallere queat, quor-
sum illa argumenta in iure criminali pertinent, ex qui-
bus tortura dictari potest. Interim omnes hi gradus ita
comparati sunt, vt fundamentum suum in *recta ratione*,
vnde quid colligimus, habeant, & per eam vel *cero* vel
probabiliter cognosci queant, vel ad minimum aliquid
suspicionis operentur, adeoque ad *artem cogitandi seu lo-*
gicam proprie spectant, vnde illa *Ictus* assumit, & le-
gislatores atque iudices trahunt. Ex eiusmodi natu-
ralibus principiis fluebat iudicium *SALOMONIS*, quod
etiam in *c. 2. X. de præsumt.* memoratur, ex quibus colli-
gebat, quæ esset legitima infantis mater; facile enim
conjectura assequi poterat rex sapientissimus, affectum
naturalem non posse non matrem legitimam prolis ma-
nifestare. Si solus cum sola: nudus cum nuda in eo-
dem lecto iacentes deprehensi fuerint, matrimonio in-
ter se non iuncti, probabiliter adulterium commisso
creduntur, quod rursus naturalem habet rationem ex
homi-

IN CRIMINALIBVS SPVRIA. 7

hominum indole deductam c. 12. X. de *præsumt.* Quæ magnopere a vero absunt, vt fidem non mereantur, ea rursus per rectæ rationis regulas habentur & ostenduntur, vt pontifex in c. 15. X. de *præsumt.* rationes subducit, & pro episcopi Hungarici de adulterio accusati, innocencia demonstranda has rationes adfert: *quis de facili crederet, quod vir prædictus scientia literarum, propria salutis oblitus, ad eam passionis ignauiam se conuerteret, vt cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum? cum etiam secundum sententias ethnicorum naturale foedus inter tales personas nihil permittat seu criminis suspicari.* Denique loci, qui vulgo vocantur *topicī*, nihil aliud sunt, quam *sedes argumentorum a recta ratione suppeditatorum*, ex quibus aliquid vel probabiliter vel certo colligi ab homine sanæ mentis potest, de quibus QVINCTILIANVS lib. V. c. 10. in compendio agit. IDEM postquam lib. V. c. 10. recte asseruit, *ex præteritis estimari solere presentia, ex recta ratione hoc lib. VII. c. 2. illustrat: ducitur conjectura a præteritis.* In his sunt personæ, cause, constilia. Nam is ordo est, vt facere voluerit, potuerit, fecerit. Ideoque intuendamus ante omnia, qualis sit, de quo agitur.

§. IV. Quemadmodum vero meditatio mea Spuria probatio a recta ratione aberans,

haud directa est ad modos legitos, factum probandi, eruendos, sed, quæ adduxi, huc vnicē redeunt, vt doceant ostendantque, quæ sit Spuria in criminalibus probatio, cum oppositorum opposita sit ratio; ita nunc proprius me accingo ad spuriōs hosce modos, quibus in grauissimis criminibus, ipsis legibus & antiquis formulis suffragantibus, vni sunt maiores, qui que non nunquam adhuc hodie quibusdam in locis adhibentur. Spuriōs autem illos modos voco, quos nulla ratio recta vel in principio quodam naturali fundata assequitur,

nec

DE PROBATIONE

nec in sede quadam argumentorum logicorum ordinaria offendit, sed vel superstitionis credulitas ab omni tamen ratione aliena vnicē produxit, vel gentilium instituta idololatrica post se reliquerunt, vt sunt probationes *per ignem & aquam*, per *duellum & similes modos* spurious. Tales probandi modi *spurii* penes illos duntaxat assensum merentur, qui vñm rationis abiiciunt, sola superstitione dñti. Hæc enim *temerariam & irrationalib[er]em creditatem* operatur, quod eius genuina & certa ratio dari non posfit, adeoque merito ab his repudiat, quos ab omni superstitione & vulgi opinione inepta liberauit cultior intellectus saniorque philosophia.

Origo ex ido-
lolatria reli-
quias & super-
stitione

a gentilibus
deducendo,

primum fun-
damentum
paganisimus,
secundum est

§. V. Quod si originem huius *spuriae probationis* intuemur, ad illa tempora eius initia referenda, quibus tot barbaræ gentes, gentilismo idololatrico relicto, CHRISTO nomen dederunt, sed simul eo tempore ad christianam religionem accesserunt, quo iam *superstitutionum* omnia plena & tenebrarum caligo lumen cœlestē ita obscurauerat, vt nubem pro lunone facile acceperint. Hæc corrupta rei ecclesiasticæ ratio facile permisit, vt ex institutis & moribus antiquis plura retinerentur ipsius CHRISTI doctrinæ aduersa, adeoque admodum probable est, plerosque spurious probandi modos *gentilium* deberi institutis, & eo facilius, gentilibus ad fidem conuersis, retentos, quod superstitione illis iam principiis eam instruxerat, quæ hos irrationalib[er]es modos propugnare & facilius legitimare possent. Triplex ergo fundamentum hos spurious probandi modos, de quibus hic agendum, per plura secula inter christianos probauit, videlicet: 1) *paganismus* in christianismo a gentibus barbaris seculo V. recepto propagatus, parum reformatus: 2) *dominatus monastica superstitionis*, regni tene-

tenebrarum veri initii, quod hoc seculo in clericatum ^{superstitione} cooptarentur in primis monachi, & *superstitione*, spe ^{monastica}. ciem *sanc*tioris** vit*e* p*ræ* se ferente, omnia implerent. SIRICVS papa ep*ist* i, desiderium cooptandi monachos in clericum his prodit verbis: *monachos quoque, quos tamen morum grauitas & vit*e* ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus.* Lauda-uit more suo hoc inititutum THOMASSINVS tom. I. de ver. & noua eccl. discipl. lib. 3. c. 14. § 5. &, nec tantum, ait, vt aptetur quis sacerdotio, opportunissima est monastica institutio: sed etiam ut sacerdotii sanctissima ministeria ea, qua par est, sanctimonia impleantur. Ex communi p*ræ*judicio edisserit THOMASSINVS, quo creditum fuit, sanctitatem vit*e* per affectatos quosdam & secundum regulas compositos mores effici, & pietatem in simplici & irrationabili credulitate consistere, qua tot falsa pro veris assumta sunt. Accedebat quoque 3) nimium *miracula* ^{tertium est} expetendi imo quacunque occasione a Deo extorquendi studium, quorum frequentiam in hoc vel illo monasterio aut ecclesia alias laudabat, alias confirmabat, rursus alias nouis augebat fabulis, vt simpliciores, parum in rudimentis fidei exercitati, lubenter narratiunculis assensum pr*æ*berent, & in eo, quod Deus extra ordinem facere solet, ordinariam omnipotentis DEI viam & modum operandi quærerent, ut hi ipsi modi spurii testantur.

§. VI. Veritatem huius assertionis quodammodo suspectam reddere voluit Ill. Dn. HOFFMANNVS, professor in Viadrina celeberrimus, in tr. *de orig. & natura legum Germanic.* *scil. 2. §. 2. p. 39. sq.* censuitque, vnicum duntaxat fundamentum horum spuriorum modorum constituendum esse, scilicet in *superstitione* nec a genti-

B

*Confirmatio
horum funda-
mentorum.*

libus

libus aut ritibus paganis eos, maxime vero duella, repetenda, quod demum eorum usus inter gentes barbaras referatur, postquam Christo nomen dederunt, adeoque corruptis christianismi principiis in effectu natales adsignat. Quemadmodum vero facile admitti potest, *superstitionem* credulam & pronam in miracula ambienda voluntatem admodum promouisse illegitimos probandi modos, ita negati nequit, ritus paganicos, vulgo *religiosos* creditos, haud plane a gentilibus depositos, postquam ut plurimum peruersa methodo ab his ad fidem christianam tracti, qui vulgo *santii* dicti & crediti, quorum tamen vita, mores, gesta, aliud quid indigitant, & ab integritate apostolica longe recedunt. Hi mores gentilium inueteratos cum prorsus abolere non possent, nouis quibusdam sacris eos munierunt & condecorando censuerunt, ut etiam accendentibus ad fidem christianam relinqu possent. Neque enim credibile est, modos hos vnicce inter ipsos christianos nasci potuisse, qui principiis regulisque christianismi aduersantur, quamuis semel in paganismo nati inter christianos peruerse conuersos facile propagari atque augeri potuere. Speciatim id ipsum demonstrat B. THOMAS. de occas. concept. & intent. confit. crimin. carol. §. 19. in not. lit. z. exemplo duellorum apud plerosque septentrionales populos, antequam ad fidem christianam accederent, visitatorum, quibus vel innocentiam vel crimen imputatum vel aliud quid probare intenderunt. Mores horum populorum bellicosi, priuatis certaminibus assueri tali iudicio omnino conueniebant, adeoque minus probabile est, ex sententia Dn. HOFFMANNI hoc demum post assumptam fidem christianam ab his populis natum fuisse. Quamuis enim variis postea sacris

IN CRIMINALIBVS SPVRIA.

ii

cris ritibus id ipsum condecoratum fuerit, vt pietatis quandam vmbram spiraret, hæc tamen prima eius initia haud demonstrant. Idem iudicium quoque feren-
dum de probatione per *ignem*, *aquam frigidam* & per
fortes, quorum modorum semina iam apud gentiles ob-
via sunt, quibus pedetentim noui quidam adiecti ve-
luti per *crucem*, *eucharistiam*, *cascum exsecratum*, imo
etiam per *iuramentum*.

§. VII. Primum ergo horum modorum funda-
mentum secure constitui potest in *profanis paganis primi-
cipiis*, quibus hi admodum conformes erant. Miracu-
lofas probationes huiusmodi, vt sacris suis ritibusque
fidem facerent, excogitarunt mystæ gentiles, penes
quos fuit sacra & mysteria populo proponere & explicare.
Variis præterea *diuinationibus idololatricis, oraculo-
rum responsis*, aliisque profanis ritibus deceperunt po-
pulum credulum, vt non mirandum sit, eos etiam spu-
rios huiusmodi modos, quos sacris annumerarunt, ad-
misisse & inculcasse, vt ANTON. VAN DALE de *oracul.
vet. ethnico*. item de *idololatr. Superst. & diuinat. orig. &
progressu* plena manu docet. Variis id ipsum testimoniis illustrat probatque BECMANNVS de *indic. Dei* §. IV,
qua ostendunt, miraculosam quandam & diuinam his
modis spuriis virtutem a gentilibus adscriptam fuisse,
occultissima etiam eruendi. Testis est EVSTATIVS
(quem alii EVMATHIVM vocant) de *amoribus Ismenie &
Ismenes lib. VIII & XI*. Artycomide & Daphnopoli fon-
tes fuisse, quibus pudicitia in virginibus probata est.
Hi fontes, ait, *virginem erectamque virginitatem indicant*,
quod in sequentibus plenius enucleat. Hoc miracu-
loso modo Tucciam, virginem vestalem, incesti crimi-
nis ream, castitatem suam probasse refert VALIRIVS MA-

B 2

XIMVS



DE PROBATIONE

XIMVS lib. VIII. c. 1. §. 5. additque, eam conscientia certe sinceritatis sue spem salutis anticipi argumento petere ausam fuisse. Arrepto enim cibro, Vesta, inquit, si sacrificiis castris semper admouit manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, & in aedium tuam perferam. Audaciter & temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit. Neque ignis iudicium ignotum fuisse gentilibus, liquet ex iis, quæ enarrat SOPHOCLES in *Antigone* de Creonte rege, quicun publico decreto mortisque poena indicta corpus Polynicis sepeliri vertasset, custodes regii semet ipsos grauiter incusare coeperunt, quod culpa vnius foret, non omnium, custodia per noctis partes cuilibet distributa. Cumque de ea re solertissime inquirerent, remque ad regem Creontem referrent, is hoc modo dixisse legitur:

Nemo deprehensus est, nosque latuit
Sumus vero parati & candens ferrum manibus tollere
Et per ignem serpere, Deosque iurare nec fecisse nos, nec
fuisse confios
Eius, qui hac de re consilium habuerit, nec eius, qui eam
fecerit.

Ita vero liquet, etiam iusiurandum ad probandum fuisse admissum, sed adhibito quodam iudicio diuino, unde iuramento fides conciliari posset. ACHILLES TATIVS de amor. Clitoph. & Leucippe lib. IX. hoc ipsum nouo probat arguento. Cum violata pudicitia aliqua arguitur, eum in fontem (Stygis nomine prope Ephesum) compellitur, cuius unda vix medias tibias artingit. Iudicium autem fieri hoc pacto consuevit. Que delata est, falso se insinuari iurat, iusiurandumque in tabella descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit. Ac si verum iusiurandum iuraverit, aqua omnino immota manet; sin minus, intumescit, atque

at quo ad collum vsque se attollens tabellam contegit. Aquæ iudicium Celtis olim vstatum fuisse varis testimonijis probatum dedit FRIDERICVS HEINVIS de probatione, quæ olim fieri solebat per ignem & aquam p. 26. Alludit hoc fine dubio CLAVDIANVS lib. II. in Ratiolum vers. 10.

*Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus
Quosque rigat retro perniciosa vnda Garumna.*

Etenim Germanicarum & Gallicarum nationum accolæ Rhenensis tractus in more habuisse dicuntur, infantes re-cens natos fluvio imponere, vt si naturæ scirent, vel enatas sent aluum, legitimi haberentur; illegitimi vero, si cederent flumini, vt obseruat BARTHIVS in not ad cit. l. De-nique Germanos lites armis discernere, non iure terminare, autor est VELLEIVS lib. II. c. 18. vnde aperte constat, monomachia iudicium iam populis his bellicosis vstatum fuisse, antequam albo christianorum inscriberentur.

§. VIII. Alterum momentum constitui potest in *monastica superstitione*, quæ mores gentiles, ad quos re-cens conuersi admodum proni erant, approbavit, nouis tamen palliavit coloribus, præceptisque illis instruxit, quæ speciem quandam deuotionis habere possent, haud memores illius dicti propheticæ; Ierem. X, 2. Sic dicit Dominus: viam gentium ne discatis. Afferuerunt enim, in rebus occultis ambiguisque deficere humanum, quærendum vnice diuinum iudicium: explorandam voluntatem supremi Numinis per signa, & veritatem facti extraordina ratiōne ab eo expetendam, qui fallere necit: Deum, qui corda singulorum rimatur, innocentiam vel veritatem criminis signo quodam indicaturum esse, sicut olim beneficio aquæ amaræ manifestabatur vxoris

Fundamen-tum alterum
in monastica
superstitione
positum de-
monstratur.

quod Dei iudicium his modis miraculosis adesset.

Exemplis ad
duis
Richardis
Reginae.

Popponis

vel innocentia vel reatus, *Num. V, 15, sgg.* atque remedio fortis extraordianario furtum Achani: *Iof. VII.* ecclesiam hac diuina virtute praeditam esse, ut naturam elementorum immutare, & pro manifestanda veritate extraordinarium motum ab eis extorquere possit. Hanc ob rem *Dei iudicium* in his probandi modis quarebant, eoque encomio eosdem ab impietate vel superstitione purgare studabant. Optime id obseruat *GIRARDVS DV BOIS* in hist. *Paris eccl. tom II. lib. 12. c 3* erat scilicet ea existimatio, ut ex *Dei iudicio* liber criminis videretur, qui sine adiutorio ferrum candens tangeret immotus & inoffensus in aqua frigida, aut feruenti aliquo tempore confiseretur, aut partem corporis ill&e;mergeret: is quidem mos peruersus a barbaris gentibus dimanauit. Germanis in usu fuisse *TACITVS* tradit, & Longobardos eo quoque usos leges, que eorum nomine extant, fidem faciunt. Gundobadus rex Burgundiorum de hoc iudiciorum genere legem tulit. Postquam barbarae gentes invaserunt imperium Romanum, facile hanc consuetudinem in christianos mares induxerunt; in eam scilicet eo proclius christiani iuerunt, quod sepius primis temporibus Deus innocentiam fidelium signis manifestis ostenderet. Ad hoc iudicium diuinum prouocauit *CAROLI CRASSI* coniux *RICHARDIS*, cum ex zelotypia mariti adulterii insimularetur. Illa enim non solum ab eius (mariti), sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profiteretur, & de virginitatis integritate gloriatitur, id que se approbare DEI OMNIPOTENTIS IUDICIO, si marito placaret aut singulari certamine aut ignitorum vomerum examine, fiducialiter affirmat, vt ait *REGINO lib. II. chron. 887.* apud *PISTOR* tom I. ex edit. *Struvi p. 78.* Pariter veritatem religionis christianaè hoc testimonio diuino olim probatam fuisse refert *STIRNHOLCK* lib. I. iur. Sueo-Gothici c. 8. atque: *Poppo*, qui primus in Boream ad verbi diuini plantationem venit,

nit, in presentia Erici Suecie regis iniecta manui chiroteca ferrea ignita dubiam populo doctrinæ veritatem sic approbavit. Inde factum est, ut deinceps in omni re dubia ad eiusmodi DEI TESTIMONIVM prouocaretur, & mos iste in legem abiret. Hoc testimonium eo maiorem fidem operari inter homines credebatur, quod diuino signo & miraculo esset munitum, ad-eoque iudicium in re dubia falli nescium. Nec minus duellis inesse iudicium diuinum credebant. Hoc praedi-
Ducis Boso-
nis.
 crio imburus fuit dux BOSO apud GREGORIVM Turonensem lib. 7. histor. Franc. c. 14. regem GVNTHERAM VNM ita alloquens: *At si aliquis est similis mihi, qui hoc crimen impingat occulte, veniat nunc palam, & loquatur. Tu, o rex piissime, ponens hoc in DEI IUDICIO, ut ille discernat, cum nos in vnu campi planite viderit dimicare.* In legibus Burgundionum tit. 45. apud LINDENBROGIUM in cod. LL. antiq p. 284. seq. & COINTIVM in annal. Francorum ad ann. 534. tom. I n. 56. hoc testimonium exæquatum fuit ipso iuramento, quod de rebus incertis plerumque sacramentum offerre non du-bitent, & de cognitis iugiter peiurare, vt si is, cui iuramentum delatum, iurare nolit, possit prouocare ad hoc testimonium, ita ut unus de iisdem testibus, qui ad danda conuerterant sacramenta, DEO IUDICANTE, configat. Expressius mentem hoc testimonio vtentium declarauit AMONIVS lib. V. c. 34. his verbis: *Ludouicus, Ludouici regis filius decem Ludovicis homines cum aqua calida, & X. cum ferro calido, & X. cum aqua frigida ad iudicium misit coram eis, qui cum illo erant, potentibus omnibus, ut DEUS ILLO IUDICIO DECLARARET, si per ius & equum ille habere deberet portionem de regno.* PETRVS Petri episcopi. episcopus Verdunensis, coniurationis in CAROLVM M. in-
 cusatus, hoc iudicio probasse legitur innocentiam suam. Ita enim in capitul. Francofordens. de anno 794. c. 7. apud BALZIVM tom. I. capitular. p. 265. *Definitum est etiam ab eodem Domino*

Domino rege sive a sancta synodo, vt Petrus episcopus contestans curam Deo & angelis eius iuraret cum duobus vel tribus, sicut sacramentum suscepit aut certe cum archiepiscopo, quod ille in mortem regis sive in regnum eius non consiliaffet, nec ei infidelis fuisset. Hæc erat sententia Synodi. Sed quia testes deficiebant, ad iudicium aliud de prouocauit. *Qui episcopus dum cum quibus iuraret, non inuenisset, eligit sibi ipse, ut suus homo ad DEI IUDICIVM iret, & ille testaretur absque reliquis & absque sanctis euangeliosis & solummodo coram DEO quod ille innocens exinde esset, & secundum eius innocentiam Deus adiuuaret illum hominem, qui ad illud iudicium exiturus erat.* Et exiuit tamen eius homo ad IUDICIVM DEI, neque per regis ordinationem neque per sententia synodi censuram sed spontanea voluntate. *Qui etiam a domino liberatus idoneus exiuit.* Denique hic probandi modi dicti sunt **Gades-Ordel**, vel simpliciter **Ordel**, *sententia, iudicium, quod ipse Deus in re dubia & occulta sententiam ferat, non tantum ubi de criminibus sed etiam si de rebus proprietatis & patrimonialibus ageretur, vt illustrat Dn. GAERTNER in not. ad LL. Saxon. p. 104.* Inde **Ordalium**, & **Vrtellum** **Wasser-Ordel**, **Feuer-Ordel**, qua voce olim hæc iudicia vel testimonio designarunt. vid. SCHILTER in glossar. Teuton. voce **Ordel**.

Inde hoc iudicium Ordalium dictum.

His modis miraculum diuinum prouocabant.

§. IX. Denique vt etiam de tertio horum spuriorum modorum fundamento aliquid addam, palam est ex ecclesiasticis annalibus, fabulas ex monasteriis tanquam ex equo Troiano prodisse de miraculorum cumulo, quo sanctitatis opinionem plerique captabant, & in quovis casu singulare quid querabant. Accedebat, homines, vita monastica adfuetos, melancholico fuisse praeditos temperamento, ad signa & alia extraordinaria prodigia credenda aptissimos & pronos, & inde in eam iuerunt sen-

IN CRIMINALIBVS SPVRIA.

17

sententiam, a DEO signa extorqueri posse, imo miraculis
 edendis ecclesiam noui fœderis esse speciatim destinata,
 presertim si accederent ecclesiastici ritus, preces,
 exorcismi, cetera, quibus carninibus insignis imo diuina
 vis inesse credebatur. Hoc credulis propositum: a
 monachis infinitis monumentis fabulosis confirmatum
 & per plura secula propagatum. Fata monachi PETRI, *exemplio Petri*
ignei dicti, quod *probationi per ignem* se subieccisset, hunc
 pruritum, ad miracula prouocandi, & per ea *voluntatem*
 DEI explorandi, satis superque indicant, si vera sunt. In-
 simulatus erat PETRS episcopus a monachis, quod per
 simoniam in vrbe Florentina episcopatum obtinuisse.
 Hic iuramento innocentiam suam ostendere paratus e-
 rat; verum aliud placuit IOANNI, abbatu vallis umbrosæ,
 qui monastico more, aduocato populo, dixisse fertur: quo-
 niam verba non profunt, VENIAMVS AD SIGNA. Confruatur
 rogus, & igne supposito accendatur, per quem unus e nostris,
 (monachis) ingrediatur, & virum vera an falsos sint, que de
 episcopo dicimus, DOMINO DISCERNENTE, probetur. Placet
 utrique partis sententia. Rogus mox duodecim pedum mensura
 confruatur intra quem parua semita, qua unius tantum hominis
 persona transire posset, relinquitur: que eriam ex accensis lignis,
 ne ibi aliquis locus a flamma vacaret, consernitur. Interim dum
 haec præparantur, prefatus abbas Ioannes, Petro suo discipulo,
 reuerendissimo scilicet viro, qui postmodum in Albanensi vrbe epi-
 scopus ordinatus est, quiq[ue] etiam adhuc supereft, eandem ecclesi-
 am regens, præcepit, ut indutus sacris vestibus omnipotenti Deo
 sacrificium offerret, & sic demum confusus de misericordia Dei per
 accensi rogi flamas indubitanter intraret. Qui iussis patris
 obtemperans, (hoc votum obedientiae coecum postulabat)
 postquam sacrificium Deo obrulit, casulam se expolians ad ignem
 venit, & magna voce: oro, inquit, Deus omnipotens, si Petrus, qui
 episco-

episcopus dicitur, simoniaca est peſte ſedatus, ne ecclēſia tua amplius polluantur, IUDICIO SPIRITI VS SANCTI TVI OSTENDE virutem, illæſum me per hunc ignem tranſire concede. Quod ſi nos fallacia pleni, cauſa inuidie duci, hanc contra eum tulimus quæſitionem, ardor iſtus ignis me tua grātia derelictum conſumat. Hec dicens & sancte crucis ſe ſignaculo muniens, per medias flammas conſtanter ingressus eſt. Cum itaque undique eſſet flammis circumdatus, ita ut a nemini poteſt videretur & omnes eum iam conſumum putarent, ſabito ex alia parte, Chriſti comitante grātia egrediens, proſiliuit: ita ut non modo veſtimenta eius, ſed ne capillus quidem leſus ab igne in aliquo videretur. Recitaui verbiſ viCTORIS in miraculis S. P. Benedicti lib. 3. apud MABILLONIVM in actis Benedicti, ſeculo IV. P. II. p. 456 historiam huius monachi, quam veram eſſe ſine hæſitatione afferuit MABILLON. in not. ibid. lit. e. quod hoc ipsum prætentibus omnibus clericis & laicis fere ad oculo millia contigerit d. 26. Febr. anno 1063. quamuis forſan populus, vnicē miraculo intentus & euentu eius incerto hærens attonitus, haud obſeruauerit artes, quibus monachus ad fallendam plebem incautam uifus fuerit. Si homines stupeſt, ſi conſternati tanquam exfenſi & attoniti ſimiles ſtant, facile decipiuntur, quod verum ſenſuum uifum amiferint. Audiamus itidem MABILLONIVM in actis Bened. ſec. IV. P. 2. ad ann. 863. in vita S. Swithoni epifcopi Winton. p. 71. referentem, EMMAM reginam, matrem Edwardi regis a Godwino Comite violatae pudicitie accuſatam, & in canobium detruſam, filii iuſſu canderis ferri examen Wintonie in ecclēſia S. Swithoni ſubiſſe, ad probandum ſuam & Alwini Wintoniensis epifcopi innocentiam. Emma, pergit, tota nocte proxima per uigilauit ad ſepulchrum S. Swithoni, (vt huius ſancti interceſſione & miraculosa virtute munita hoc examen maiori cum fiducia ſubire posset) die ſacto in paumento ecclēſie scopato nouem vomeres igne can-

& Emma re
gina.

candentes ponuntur in ordine, quibus breuiter benedictis (vt virtutem laedendi in casu innocentiae suspenderent) detrahuntur reginæ calcei, tum posito poplo, succincta a duobus binc inde episcopis nouem vomeres illeſa percurrit, STUPENTE REGE ET OMNIBVS, QVI ADERANT, ATTONITIS. Circumstantiae adductæ insignem superstitionem, & simul mentis hebetudinem in adstantibus designant. Nam 1) nocte proxima ad sepulchrum S. Swinthoni perugilauit, eiusque ope m̄ implorauit, vt huic sancto nouum miraculum attribui posset: 2) consuetis ritibus vomeres ardentes & exorcismis adhibitis ad fucum populo faciendum præparati dicuntur, vt his quoque sua autoritas staret: 3) a duobus cincta episcopis, quorum latera spectaculi veritatem facile adstantibus subtrahere potuerunt, per nouem vomeres transiit: 4) cursu præcipiti vfa: 5) stupente rege & populo attonito, inter metum atque spem incertam posito, & ita sensuum vſu deficiente: denique 6) quia e re sancti prædicti erat, edi miraculum quoddam, quis, præiudiciis omnibus sepositis, crederet, sine artibus adhuciris tale quid contingisse? Addam aliud spectaculum ad fidem sanctis faciendam. Simili miraculo monastico sibi fidem concilauit in translatione S. Helenæ monachus, cuius meminit NOTCHERV abbas de translat. S. Sindulfi & S. Helene p. 154. apud MABILLON. in act. Benedict. sec. IV. P. 2. circa annum 866. his vſus verbis: iudicauerunt itaque non aliter esse credendum, nisi monachus ille, qui eam (S. Helenam) ad nos transportauerat manifestum iudicium (per miraculum) fecisset, & in calidam aquam toro corpore nudatus intraret. Sed vt Deus rei veritatem manifestius panderet, ita hunc intra feruidas aquas conservauit illeſum, sicut & ab ipso mendacio, quod dicebatur, fecerat alienum. Quis ignorat, reliquias dubias sanctorum, quorum multitudine monasteria laborant & celebriores ecclesiæ,

C 2

olim

item eius-
dam monachi.

reliquiarum
igne probata-
rum

olim igne probatas fuisse, ut interueniente miraculo & signo
indubitate (refragante licet doctrina Christi, Matth. XII,
38.39. XVI, 1. 4. Ioh. II, 18. IV, 48.). Deus præcaueret, ne falsæ
pro veris assumerentur. Id cautum anno 592, in concil. Cæsar-
Augustano c. 2. Statuit S. Synodus, ut reliquie in quibuscumque
locis de ariana heresi inuenient & fuerint, prolatæ a sacerdotibus, in
quorum ecclesiis reperiuntur, pontificibus presentatae igne pro-
bentur. Exempla miraculorum in probatione reliquia-
rum contingentium refert EDMUNDVS MARTENIVS tom. III.
de antiqu. eccl. discipl. lib. 3. c. 8. §. 2. p. 495. quæ prouocantur
per solennes preces, in monasteriis sedulo obseruatas, vt
IDEA p. 496. obseruat. Solennis oratio hæc fuit: Domine
Deus Iesu Christe, qui es rex regum & dominus dominantium &
amator omnium in te credentium, qui es iustus iudex, fortis, &
potens, qui sacerdotibus tuis tua sancta mysteria revelasti, & qui
tribus pueris flammam ignium mitigasti: concede nobis indignis
familis tuis, & exaudi preces nostras, ut pannus iste, vel filum
istud, quibus inuoluta sunt ista corpora sanctorum, si vera non
sint, cremenetur ab hoc igne; & si vera sint, euadere valeant, vt
iustitia non dominetur iniustias, sed subdatur falsitas veritati,
quatenus veritas tua tibi declaretur, & nobis omnibus in te
credentibus manifestetur, vt cognoscamus, quia tu es Deus bene-
dictus in secula seculorum. Amen.

adhibebit
solennibus pre-
cibus.

Adhibeben-
tur in his pro-
bandi modis
sacri ritus, &
exorcismus
precedente
missa.

§. X. Erant hæc examina & iudicia non vulgi imperiti
methodi, sed spectacula ab ecclesiis plurimi probata, &
certis sacris precibus exornata, vt eo maiorem veritatis
haberent speciem. Exorcismi in primis visitati, quibus in
his tenebris magna vis tribuebatur ex potestate ecclœ, a
qua præscripti, determinati, & hac prædicti virtute, exil-
lorum temporum credula opinione, vt miraculosos effectus
edere crederentur. Tales formulæ cum omni apparatu ex
antiqua disciplina erutæ sunt atque publicatae a BALVZIO,

MAR-

IN CRIMINALIBVS SPVRIA.

21

MARTENIO, GOLDASTO, aliisque, quarum quasdam duntaxat ut in iudicio
sistam. BALVIVS tom. II. capitulo p. 641. in iudicio aquæ cali aquæ calidæ
de hanc exhibet exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei patris
omnipotentis & in nomine IESU Christi filii eius domini nostri, ut
fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici,
& omne phantasma diaboli; ut si hic homo, qui manum suam in
te missurus est, innocens extiterit, de hac culpa, unde reputa-
tur, pietas Dei omnipotentis liberet eum, & si, quod absit, cul-
pabilis est, & presumtus in te manum mittere ausus fuerit,
eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur,
ut omnis homo timeat & contremiscat nomen sanctum gloriae Do-
mini nostri, qui vivit & regnat Deus per omnia secula. Ple-
nior est illa, qua p. 642. ibid. occurrit, vnde liquet, quam
insignes effectus vulgo adiurationibus ecclesie adscripti fue-
rint pro imperio sacro, quod in creaturas inanimatas quoque
sacerdotes exercere intendeant. Te autem, dicere iussi
sunt, creatura aquæ, adiuro te per Deum sanctum, adiuro te
per Deum viuum, ut efficiaris fons exorcizatus ad effugandum
& euacuandum & comprobandum omne mendacium, & inuesti-
gandam & comprobandam omnem veritatem &c. Quemad-
modum autem (I) aquæ frigide iudicium huc potissimum & frigide.
directum fuit, ut innocens ab aquis suscipiat, & modo
naturali submergeatur, nocens vero super aqua na-
taret, ita speciatim in plerisque formulis, virtute ecclesiæ
putativa, iussa est aqua, hanc vel illam edere operatio-
nem, prout in eam missus nocens vel innocens repertus
credebat. Ordo III. apud MARTENIVM de antiqu. eccl. ri-
tib. tom. III. lib. 3. c. 7. p. 461. notabilem habet apparatum
sacrum, quo hoc iudicium olim peractum fuit. Formu-
la adiurationis inter alia hoc preceptum continebat: ad-
iuro te - - ut nullo modo suscipias hominem istum, si culpabi-
lis est, - - sed fac eum naturæ super aqua - - adiuro te per
nomen

C 3

DE PROBATIONE

nomen Christi, & PRAECIPIO tibi, ut nobis per nomen eius OBEDIAS &c. Tam efficax creditum fuit *imperium ecclesiæ*, vt etiam sese exsereret in *resinanimatas*, & earum motum ordinarium miraculo modo sistere vel mutare posset. Plenior est *ordō V.* quo totus apparatus missatus, qui præcedebat iudicium aquæ frigidæ, referitur, & similis *imperiosus iussus ad aquam frigidam dirigitur: adiurata autem precipimus tibi, ut per nomen eius obediias, cui omnis creatura seruit.*

Ritus ab Eu-
genio II. præ-
scriptus huic
iudicio.

§. XI. Præ ceteris notari meretur ritus *probationis per aquam frigidam*, qui EVGENIO II. vulgo adscribitur, quem refert MABILLON. in *veter. analed. p. 161. nouiss. edit. in fol.* in cuius calce hæc reperiuntur: *hoc autem iudicium creavit omnipotens Deus, & verum est. & per dominum EVGENIVM Apostolicum inuentum est, vt omnes episcopi & abbatæ, comites, seu omnes christiani per uniuersum orbem eum obseruare studeant, quia a multis probatum est, & verum inuenitum est.* Ideo enim ab illis inuentum est & institutum, vt nulli liceat super sanctum altare manum ponere, neque super reliquias vel sanctorum corpora iurare. Eundem ritum exhibet BALVZIVS cit. l. p. 644. in cuius fine refertur, *hoc iudicium, petente domino HLVDOVICO imperatore constituisse beatum EVGENIVM, & misisse in Franciam, vt addit MABILLON. in annot. cit. l. p. 162.* Ad petitionem LVDOVICI hunc ritum conditum fuisse, vix probable est, quod post obitum EVGENII idem imperator anno 828 in concilio Aquisgranensi examen aquæ frigide interdixerit, id minime facturus, si ad ipsius instantiam papa hunc ritum constituisset. Ex vetusto codice MSCto primus sub hac formula hunc ritum edidit FR. IVRETVS in *not. ad epist. Iuonis p. 91.* vnde sine dubio BALVZIVS eum repetiuit. Sed iuuat, ipsum modum a pontifice præscriptum

Ritus proban-
di per aquam

IN CRIMINALIBVS SPVRIA. 23

ptum hic adjicere: *cum homines vis mittere ad probatio-* frigidam
nem, ita facere debes: accipe illos, quos voluntatem habes Eugenianus
mittere in aqua; duc eos in ecclesia, & coram omnibus illis
cantet presbyter missam, & faciat eos ad ipsam missam of-
ferre. Cum autem ad communionem venerint, antequam
communicent, interroget eos sacerdos cum coniuratione ita
dicens: adiuro vos homines per patrem & filium & spiritum
sanctum, & per vestram christianitatem, quam suscepisti, &
vnigenitum filium DEI, & per sanctam trinitatem & per san-
catum euangelium, & per istas reliquias, quae in ista sunt ec-
clesia, ut non presumatis villo modo communicare, neque ac-
cedere ad altare; si vos hoc fecistis, aut consensistis, aut fecitis
quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dice-
rit, accedat sacerdos ad altare, & communicet eos. Postea
vero dicat ad illos, quos communicat: corpus hoc & sanguis do-
mini nostri IEsu Christi sit vobis ad probationem hodie. Expleta
missa, faciat aquam benedictam, & accipiat sacerdos ipsam a-
quam, ibique ad illum locum, ubi homines probabuntur. Cum
autem venerint ad ipsum locum, det illis bibere de aqua benedicta,
dicens ad unumquemque: haec aqua fiat tibi ad probationem.
Postea vero coniuret aquam, ubi illos mitit. Post coniurationem
aqua, exuat illos vestimentis eorum, & faciat eos per singulos
oculare sanctum euangelium & crucem Christi. Et postea super
unumquemque adspergat de aqua benedicta, & proiciat singu-
los in aqua. Hec omnia facere debes iejunus; neque illi ante
manduent, qui ipsos mittunt in aqua. Ipsa coniuratio homi-
nis hac formula continetur: adiuro te homo N. per invocatio-
nem domini nostri IEsu Christi & per iudicium aquæ frigideæ. Ad-
iuro te per patrem & filium & spiritum sanctum, & per trinita-
tem inseparabilem, & per dominum nostrum IEsum Christum,
& per omnes angelos & archangelos & per diem tremendi iudi-
cii, & per quatuor euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam &
Ioan-

DE PROBATIONE

Ioannem, & per duodecim apostolos, & per duodecim prophetas,
 & per omnes sanctos Dei, & per principatus & potestates, per do-
 minationes & virtutes & per thronos Cherubin & Seraphin, &
 per tres pueros Sadrac Mesach & Abdenago, & per centum qua-
 draginta quatuor millia, qui pro Christi nomine passi sunt, &
 per illum baptismum, quo sacerdos te regenerauit: ut si de hoc
 furto scissi, aut vidisti, aut baulisti, aut in dominum tuam rece-
 pisti, aut consentiens, aut consentaneus exinde fuisse, aet si ha-
 bes cor incrassatum vel induratum, euanescat cor tuum, & non
 suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc praeualeat,
 sed manifestetur.

Propterea obnixe te deprecamur, domine
 Iesu Christe, fac SIGNVM tale, vt si culpabilis est hic homo,
 nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem domine Iesu Christe,
 fac ad laudem & gloriam per invocationem nominis tui, vt
 omnes cognoscant, quia tu es Dominus noster, qui cum patre &
 spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula seculorum Amen.

Rursus ex hac formula liquet, id hac coniuratione a-
 etum fuisse, vt signo quodam miraculoso Deus manifesta-
 ret crimen, de quo quis insimulatus erat. Hoc pariter
 omnes intenderunt, qui crimine magiae probationem per
 aquam frigidam necessariam vtilemque crediderunt, in
 quo merito protestantes hunc adhibentes probandi modum,
 culpandi, qui nec exorcismis aut adiurationibus v-
 tuntur, nec se salua conscientia vti posse credunt; nec
 signa miraculosa more superstitionis monasticae a DEO ex-
 torquere debent, qui signis non tentandus; nec deni-
 que iudiciorum Westphalicorum rudera, ex quibus in
 magia haec probatio diu retenta fuit, aliquem amplius
 locum relinquere possunt, postquam Carolina constitutio-
 ne senior processus substitutus. Sed supereft, vt oratio-
 nem ad aquam benedictam ex ritu EUGENIO adscripto ad-
 dam: suppliciter te, domine Iesu Christe, deprecamur, tale

præ-

formula ora-
 tionis ad
 aquam.

presentialiter facere dignare SIGNVM, vt si iste, quod ei obicitur, est in aliquo culpabilis, non suscipiat eum hæc aqua, sed evanescat ipse, & nullatenus modo intro recipiat. Hoc autem, domine IESU Christe, fac ad laudem & gloriam, ad inuocationem nominis tui, vt omnes cognoscant, quia tu es Deus verus, & preter te non est aliud, qui vivit & regnat cum Deo patre in unitate spiritus sancti per infinita secula seculorum. Amen. Rursus hæc preces indicant, ritum hunc eo directum fuisse, vt miraculo quodam Deus veritatem facti manifestaret.

§. XII. Sicuti vero iam obseruaui, LUDOVICI in-
Ritus tam
stinctu ab EVGENIO II. hunc ritum vniuersis ecclesiis
non esse præscriptum, ita merito in dubium vocat quo-
iste per fabu-
lam adscribi-
que NATALIS ALEXANDER in hisor. eccl. seculi IX. & X. cap.
tu Euge.
a. art. 4 tom. VI. p. 6. vtrum EVGENIVS II. autor huius ritus
habendus sit? Afferere id non dubitauit MABILLON cit. loc.
& cum eo HERTIVS de inspect. ocul. §. 18. fide membranæ
Remigianæ peruetustæ seculo IX. exaratæ. Verum facile
concedo, hanc membranam superstitioso hoc seculo ex-
aratum fuisse, eius tamen autor non EVGENIVS II. papa,
sed monachus quidam ineptus in Gallia fuit, qui sub no-
mine EVGENII II. hunc modum, per aquam frigidam pro-
bandi delinquentes, determinauit, vt eo maiorem au-
toritatem in Gallia & Germania, quæ huic probationi ni-
mis adhaerent, ei acquireret. Ipsa formula adiuratio-
nis magis ad monasteriorum fordes, quam EVGENII II.
doctrinam est composita, nec credendum, pontificem
praxi iuramentorum, in ecclesia hue usque visitatorum,
postposuisse huic spurio probandi modo, & prohibuisse
usum iuramentorum super altare vel reliquias martyrum.
Nec denique LUDOVICVS pius, EVGENIO II. admodum
deditus, hunc abrogasset ritum in concilio Aquisgranensi.

si a pontifice hoc approbatus fuisset. Verba canonis 12.
 sunt: *vt examen aquæ frigide, quod haclenus faciebant, a missis nostris interdicatur, ne vterus fiat.* Anno 829. hic ca-
 non conditus, vix mortuo EVGENIO II, cuius memoriam
 hoc ipso perstrinxisset imperator, si pontifex eundem
 fanciuisset. Sed fabricator pseudo-Eugenianæ
 formulæ sine dubio id vnicè egit, vt huic canonii appo-
 neret autoritatem EVGENII II. ad minimum post lapsum
 temporis, quo quævis fabulae olim facilius fidem mere-
 bantur. Neque enim hac formula seculo IX, quo ex-
 arata est, innotuit, aut eius mentio facta est, quod pau-
 cis demonstrandum. Eodem seculo adhuc floruit HINC-
 MARVS Remensis, qui tom. II epist. 39. p. 676 ad Hildegardium episcopum Meldensem de iudicio aquæ frigide epistola-
 lam scripsit, illudque qualibusunque argumentis pro-
 pugnare annis est. Argumenta pro iudicio huius de-
 fensione adlata parum stringunt, & mysticum vnicè re-
 dolent spiritum. Nullum solidius vero pro eius patro-
 cino adferre potuisset fulcrum, quam ex EVGENII II. ri-
 tu, si hunc ipsum determinasset, si omnibus episcopis
 atque comitibus eum iniunxit. Format sibi grauem
 dubitandi rationem p. 684. inquiens: *nec pretereundum,*
quia legimus in capitulis Auguſtorum, fuisse veritum frigidæ
aquæ iudicium. Facile vero hunc potuisset soluere no-
 dum, si EVGENII II. in promptu fuisse præceptum, cuius
 autoritate præceptum LUDOVICI sine negotio diluere po-
 tuisset. De illo vero altum silentium: id vnicè regerit;
 id non fuisse veritum in illis capitulis synodalibus, que de
 certis accepimus synodis, vt eius verba referam. Nam
 opinatus est, hanc causam: vtrum verbo diuino & doctri-
 na ecclesiæ repugnet nec ne? prius examinandam in sy-
 nodo patrum, quod ecclæstica, iudicium Dei concer-
 nens,

Hincmaro
hæc fabula
ignota.

IN CRIMINALIBVS SPVRIA.

27

nens, non secularis sit. Si ergo iam ab EVGENIO II. fuisset hæc lis composita, frustra & sine ratione prouocasset ad synodum. Cetera argumenta HINCMARI lusum magis ingenii mystici quam veritatis demonstrationem spirant. Inepte petit a baptismate ratiocinium hoc: *Nam & quan-*
do qui putatur & qui est noxious in aquam examinandus dimittitur
a dimittentibus, secundum quendam modum forma baptismatis,
dominus inuocatur, quatenus veritas, unde requiritur, demon-
stretur, & tenebras ignorantie nostris inluminare dignetur, ne
aut innocens iniuste a nobis damnetur, aut nocens sua negatio-
ne aut diabolica fraude aliquo modo impunitus evadat &c. Ab-
surde prouocat ad apostoli verba. i Cor. V, 7. expurgate ve-
rus fermentum: que paraphraſi sequente circumſcribit,
ut cauſa ſue feruant: reputatum de criminis atque negan-
tem, quem idoneis teſtibus iudicario ordine comprobare nequi-
ris, aut ſacramento aut Dei iudicio expurgate. Ineptior in-
terpretatio excogitari non potuit, cuius occaſio inde ca-
*pta eft, quod hi modi probandi purgationes appellati fue-
rint, adeoque censuerit, PAVLVM iam digito in verbo:*
expurgare, monſtraffe hos ſpuriuos probandi modos. IDEM
de diuorio Lotarii & Teutberga anno 860. opſculum tom. I.
edidit, in quo rursus aque feruentis & frigide iudicii p 604.
Sqq. cauſam agit, ad EVGENII II. p̄ceptum tamen mini-
me prouocat, certo indicio, illud adhuc latitaffe, quod
tamen ad episcopos Gallie misiffe dicitur. Rursus vero ar-
gumentis mysticis hanc cauſam instruit, sed admodum
futilibus. Putat, ſicuti mare baptismata designans nihil
in ſe mortuum retinet, ſed eiicit, ita criminibus infe-
ctum & ſpiritualiter mortuum aquis non mergi, ſed ab
eis eiici: conligari eum fune, qui examinandus in aquam
dimittitur, quia funibus peccatorum ſuorum unusquisque con-
ſtringitur. Addit p. 609., baptismata eſſe iudicium, unde &

D 2

lor da-

licet infulis
argumentis
ritus ipſe ab
eo probatur.

Jordanis baptisma designans interpretatur ritus iudicij, quo princeps mundi mendax & pater eius foras euicitur. & baptismus Dei est consilium, DIVINI VIRI ad ignota inuestiganda inseneriunt iudicium aquæ frigidæ, in quo aquæ frigidæ iudicio, ad inuocacionem veritatis, quæ Deus est, qui veritatem mendacio cupit obtegere, in aquis, super quas vox Dei maiestatis intonuit, non potest mergi, quia pura natura aquæ naturam humana per aquambaptismatis ab omni mendaciï figimento purgatam, iterum mendacio infectam, non recognoscit puram, & ideo eam non recipit, sed reicit ut alienam sc̄. A diuinis viris hoc iudicium aquæ frigidæ inuentum somniant HINCMA-RVS, nisi forsitan intelligat monachos superstitione stupidissima infectos, quorum supersticio fucata huiusmodi studiis fulcris erat munienda.

Nunquam pontifices hos spuriis modis probabant.

§. XIII. Denique nullo idoneo arguento demonstrari potest, has spurias probationes vñquam papas approbatæ, quas potius magis damnarunt, & iuriuando omnem iudicii diuini autoritatem dederunt. ALEXANDRI II. sententia, quæ in c. 7. C. 2. qu. 5. refertur & cum c. 17. ibid. coniungenda est, idaperte docet: vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fultam legem, feruentis scilicet sive frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuenitionis (quia fabricante hæc sunt omnino fidia inuidia). nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imo apostolica autoritate prohibemus firmissime. Idem censuit STEPHANVS V. in c. 20. C. 2. qu. 5. nam ferri carentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censem canones, & quod sanctorum patrum documento sanctum non est, superstitione adiumentione non est presumendum. Vix probabile est, pontifices tam absoluta reprobatione has spurias probationes, si ab IUGENIO II. iudicium aquæ frigidæ receptum, ipsique iuramento prælatum

tum fuisset. Qua de causa ivo Cornutensis episcopus epist. 91. tanta fiducia ad has sanctiones prouocat, & spuriis probationes ab omni canonica doctrina alienas pronunciat. Nec minus Eveivs III., cuius sententia refertur in concil. Lateran III. de anno 1179. cap. 50. apud HARDVIN. tom. VI. P. 2. p. 1870. placita prædecessorum fecutus aquæ frigidæ iudicium reprobauit. Relatum ipsi erat, presbyterum quendam, de homicidio infamatum, iudicio aquæ frigidæ innocentiam suam purgauisse, & episcopum suis illum literis absoluisse. Quid vero, pergit, cum peregrinii iudicia a sacris canonibus sunt inhibita, purgationem, quam praeslit, non sufficeremus putamus. Mandat itaque ut cum septima vel quinta manu per canoniam purgationem suam innocentiam offendat. Modum posteriorem canonican esse censuit, quod canonicibus antiquis & doctrinæ curiæ Romanae conformis, prior autem peregrinus, antiquatus, seu populis peregrinis & barbaris proprius sit. Rectius forsitan dices, eum quisquiliis monasticis accessendum. Cum enim tot formulas in his iudiciis visitas offendamus, a quibus abhoruerunt saniiores, vix probabile est, extra claustrum monachorum, in quibus superstitione fedem habuit, eas profusas & fabricatas fuisse, in quorum conditoriis & bibliothecis etiam diligenter asseruatæ sunt.

§. XIV. Neutquam vero prætereundum, abusum Exorcismorum his probationibus accessisse non ex instituto quodam patrum ecclesiæ, qui illos his usibus non destinaverant, vt rerum inanimatarum naturam immutarent, & imperium quoddam miraculosum in eas exercerent, sed sine dubio ex superstiosis monachorum inuentionibus, vt his incantationibus miraculum quoddam prouocarent. Haec doctrina cum institutis ecclesiæ & patrum minime conspirabat, ad superstitionem vero monachorum pro-

quid olim
fuerint?

vñus antiquus.

pius accedebat, quo *autoritatem diuinam* his ritibus acquirerent. *Exorcizare* olim nihil aliud erat, quam diabolum ex corporibus, quæ obsederat, exigere, addita per DEI nomen obtestatione, quam vulgo *coniurationem* vocabant. Dono hoc miraculoquo quosdam in primitiva ecclesia, etiam laicos instructos fuisse, plus quam notum est, teste *TERTVLLIANO de corona milit. c. XI. & de idololatr. c. XI.* Nec scio vero, quo consilio factum fuerit, ut ea, quæ *extraordinario dono* vñice accepta ferenda, ad *munus ordinarium* in *ecclesia Latina* fuerint relata, exorcistis in vñsum hunc institutis. Horum officium tamen vñice versabatur circa *energumenos & baptizandos*. Hunc in finem formulae *exorcismorum* præscriptæ, ab exorcistis recitandæ. Nam ex *ISIDORI Hiçpalensis epist. ad Landfreduum* constat, *ad exorcistam pertinere, exorcismos memoriter retinere, manus super energumenos & catechumenos exorcizandos imponere*. Tempore *MARTINI* episcopi, monasticis præceptis instituti, iam *turbo verborum* adhibebatur, a quibus tamen ipse abstinebat. Ait *SVLPICIVS SEVERVS dial. III. c. 6.* *Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam receperisset, neminem manibus attreclabat, neminem sermonibus increpabat, sicut plerumque per celericos rotatur *turbo verborum*; sed, admotæ energumenis, ceteros isibet abscedere, & foribus obseratis, in medio ecclesie cilicio circumiectus, cinere respersus, solo stratus orabat.* His verbis iam notauit clericos sui temporis *SVLPICIVS*, carminibus exorcismorum vñice omnem virtutem eiiciendi dæmones adscribentes; ait maior abusus accessit, postquam virtus eorum etiam extensa ad rerum inanimatarum naturam transformandam, eisque singularem & nouam virtutem adsignandam.

Abusus recentior in exorcizandis rebus inanimatis

§. XV. Occasionem huic abusu dederunt tot novi ritus, in coniurationibus Dæmonum adhibiti veluti per

IN CRIMINALIBS SPVRIA.

3

per adspersionem aquæ benedicte, & salis adhibitionem. His rebus inanimatis, peruerso plane more, adhibiti exorcismi, hac intentione, vt singulares operationes, electis dæmonibus, ederent. Hinc formula in benedictione aquæ adhibita apud MARTENIVM tom. III. de antiqu. eccl. ritibus lib. III. c. 9. p. 499. adiuro te CREATVRA AQVAE in nomine Iesu ut aqua, Christi Nazareni, filii Dei viui regis & iudicis nostri, ut sis purgata in sanctificationem omnibus, & ne communiceris villo spiritui immundo, sed dabis honorem viventi atque regnanti patri & filio & spiritui sancto in secula seculorum. Pariter in benedictione salis apud LVNDEM cit. I. p. 507. Exorcizo te CREATVRA sale, SALIS per Deum creatorem & creaturarum omnium creatorem; & qui inter reliqua sua opera adiungere dignatus est virtutem salis & ignis, ut armata per spiritum sanctum virtute cælesti gravissimum persequaris inimicum. Vnde TV CREATVRA salis in presenti opere implicata, in virtute sancta domini nostri Iesu Christi persequere diabolum & omnes insidias eius, & ab hominum, ubique perfusa fueris, visceribus absque ultra molestia omnes infirmitates expelle, & omni accipienti anima profutura ad salutem perpetuam facias, & perniciem perpetuae ultionis exclusas. Per eum, qui venturus. Hunc morem constanter retinuit ecclesia Romana, vt quoties sal benedictum cum aqua adhiberi debet, vt in consecratione ecclesiarum &c. per formulam exorcismi ad creaturam salis & aquæ directam hoc expediri debeat, vt docet formula in pontific. Romano p. 282. sq. Simili formula vtitur in benedictione olei infirmorum iuxta pontificale Rom. p. 572. in qua tamen magis dirigitur ad Dæmonem seu immundissimum spiritum, vt recedat ab hoc oleo, quasi illi incumberet. Huiusmodi ritus facile opinionem monachis aliquique clericis ingenerare potuere, per exorcismos a creaturis inanimatis expelli Dæmones, atque his electis, illis miraculosam diuinamque vir-

DE PROBATIONE

virtutem attribui posse, vt etiam occultissima per illas
 manifestari possent. Id indicant tot exorcismi, tot pre-
 ces, tot præcepta *autoritate imperativa* ad creaturas directa,
 que in credulis persuasionem cœcam & irrationabilem,
 in sanioribus vero iustum dolorem & indignationem o-
 perantur, quod supersticio his carminibus quotidie pro-
 mota fuerit. Non ergo mirandum, hos exorcismos
 HINCMARVM aliasque induxisse, vt probationes has spu-
 rias propugnarent, sibique ac aliis persuaderent, exorcis-
 mis aquæ frigidae, calide, ferro carenti, pani imo ipsi rogo
 accenlo imperari posse, ut motum ordinarium vel in casu
 innocentiae, vel criminis commissi sisterent, & motum ex-
 traordinarium, suæ naturæ contrarium, ederent. Quodsi
 allegas, hoc supersticiosum & ideo prohibitum esse; re-
 de regeri potest, exorcismos hos tamen adhuc hodie *ex*
eadem intentione in benedictione salis, aquæ, olei &c. adhi-
 beri, vel, hoc negato, inanes & æque superstiosas esse.
 Hoc quodammodo admittit DANDINVS *de suspect. de heret.*
c. II. sed. II. sub sed. 3. §. 3. n. 6. p. 174. afferens, exorcismos licet
 ministrentur a viris sanctissimis, non obtinere certo effe-
 ctum. Non est enim conforme, ait, *ordini divinae prouidentiae*,
 vt exorcismi nostris temporibus, quibus non indigemus fidei nostræ
 testimonis, scilicet miraculis, vt demonum expulsonem operen-
 tur; nec ecclesia instituit exorcismos, qui ex opere operato inßar
 sacramentorum agerent; si quidem solo imperio in primitiva ec-
 clesia pellebantur Dæmones; sed tantum instituit quasdam ora-
 tiones imprecatorias, quibus prohibuit aliquid addi ob vanitatis
 periculum. Si ergo ex sententia DANDINI Dæmonum ex-
 pulsionem non operantur exorcismi: si non possunt mi-
 raculum edere, frustra & in vanum tot apparatus sacri fi-
 unt: frustra diabolo vi *imperativa* iniungitur, vt recedat
 a creaturis inanimatis: imo frustra intenditur, vt nouam
 ha

de quibus
 Dandini iudi-
 cium adseritur

hæ virtutem, expulso diabolo, accipient. Videlicet omnis in hoc est DANDINVS cit. l p. 153. vt dæmoni magnam virtutem in quæuis elementa adscribat, vt in aquam, terram, ventos, aliaque operari queat, adeoque, quod tamen disimulat, inde inferre debuit, prius expellendum esse diabolum a creaturis salis, aquæ, olei, ceterarum, ut virtutem diuinam accipere queant, id quod insigne superstitionis argumentum est.

§. XVI. Denique, vt reuertar, vnde ab ii., postquam hic ritus cum similibus decretis tum pontificum, tum imperantium damnatus est, clericorum officium prorsus tandem in his cessauit, imo plerique penitus abrogati sunt, si iudicium per aquam frigidam exceperis. Hoc enim in criminis magie ex antiqua iudiciorum Westphalicorum praxi adhuc circa finem seculi præcedentis in vnu fuit, vt ex actis obseruauit Dn. PRAESES, imo in Hungaria adhuc regnat, vt in Lexico uniuersali Historico Lipsia edito sub articulo Siebenbürgen tom. IV. p. 343. referatur. Quia vero clericis iniunctum est, ne exorcismos & reliquum apparatum sacram probationi per aquam frigidam adhiberent, his omissis (quod stultius est) fiduciam vnice in aqua collocarunt omnem, & ab ea per summam stultitiam iudicium veri petere cœperunt. Id etiam obseruauit DELRIO, notante CANGIO in gloss voce aqua frigida docetque examen per aquam bessisse postmodum in solo criminis maleficij seu magie, ita tamen, vt sine villa DEI inuocatione, sine vlo ritu pietatis aliquid preferente, quasi per ludum iudices absuntur in quibusdam Germanie regionibus. Quas enim, pergit, fama vel aliarum depositione suspectas habent, eas statim absque ulteriori inquisitione capiunt, captasque extra urbem deducunt, & in aquam frigidam ita concipiunt, ut dextra manus inferno pedi sit alligata & si supernatant, veneficas vehementius

E

suspi-

Supereft ad
buchodie in
q. usdā lo
cis iudicium e.
qua frigide.

sine exorcis-
mis

in magia.

suscipiantur, & idcirco duriori subiiciunt questioni: sū submergantur, innocentes esse putant: magis præstigiis, ut par eſt credere, adscribentes, si supernarent. Hæc methodus noua, a prisco modo probandi reos delicti cuiusdam prorsus discrepans proprius accedit ad antiquorum populorum Germaniæ creditatam & persuasionem idololatricam, qua simpliciter virtutem explorandi ignota Rheno adscribant, postea, prohibitis ritibus sacrī quibusuis aquis adscriptam.

Probatio ſupu-
ria ſecunda
per lanceum &
ſtateram.

§. XVII. Sed etiam aliae & nouæ rationes adsumtae, creditumque, fagas, a diabolo poffeffas, pondus naturale amittere, & ita mergi non poſſe. Quæ ratio forſan (II) nouæ illi probationi, per pondus ſeu lanceum & ſtateram explorandi fagas, originem dedit, quæ eft recentioris iſtituti etiam olim in Germania vſitata, ſi credendum MARTINO DELRIO in *diſq. mag. lib. IV. c. 4. qu 6.* Hanc in eo conſistere volunt, ſi fagæ vltra certum pondus veluti librarum 14. vel 15. ſtateram deprimere non poſſunt, quantumuis ſint obefæ & proceræ. Huius diaria ante aliquot annos mentionem fecere, prout in *nota ſubiecta* circumſtantias enarratas repetii. (a).

§. XVIII.

(a) Segebin von 26 Iulii Anno 1728. Da ohnlangſt alſhier unterschiedliche Personen beyderley Geschlechts in gefängliche Verhaft eingezogen worden, weil ſelbige einiger Herrenen beſchuldigt worden, als in mit denselben nicht allein ein ſcharfes Examen vorgenommen, ſondern auch nach Beſinden derer Sachen, über ſie das Urtheil verbrannt zu werden, geſprochen worden. Ehe und bevor aber foſches an ihnen vollzogen worden, hat man die verurtheilten, nach hiefigem Gebrach zur Probe gebracht, nehmlich mit zusammen gebundenen Händen und Füßen, und einem langen Strick um Leib ins Wasser gelaffen, welche aber nach Hexen-Art, gleich einen Pantoffel-Holz auf dem Wasser geſchwommen: nach diesem wurden ſie ſo gleich zur andern Probe gebracht, nehmlich auf die Wage gelegt, um zu ſehen, wie ſchwer einer oder der andere ſey, daſſey dann höchſt zu bewundern gewesen, daß ein großes und dicke Weib nicht mehr

IN CRIMINALIBVS SPVRIA. 35

§. XVIII. Parि ritu sacro olim peragebatur, (III) in-
dicium aquae feruentis sue calidæ, vti vocatur apud LIBNITI
VM tom. I. script. Brunswic. p. 564. cuius ratio in eo consiste-
bat, vt probandus manum nudam in aquam feruentem &
E 2 vehe-

Probationis
spurie species
III. per aquam
feruentem.

mehr als 1 und ein halb Quentl. Ihr Mann, welcher auch nicht von den Kleine-
sten war, nur 5 Quentlein, die übrigen aber durchgehends entweder 2 Roth, 3
Quentl. und noch weniger gewogen haben. Den 30. dieses Monats, als am
vergangenen Freitag, wurde darauf das Urtheil an 13 Personen, nemlich
6 Hexen Meistern und 7 Hexen vollzogen, und sie sämtlich lebendig verbrennen,
worunter auch der vorigen Jahres genesene, und von jederman sonst geach-
tete Stadt Richter, seines Alters 82 Jahr, den Scheiter-Haufen gezieren.
Es ist fast nicht zu beschreiben, wie entzgl ch dieses Spectacul anzusehen war;
es wurden drey Scheiter-Haussen eine Stunde vor der Stadt aufgerichtet,
also in der Mitte eines jeden ein grossen Pfahl eingegraben stunde; an die-
sem Pfahl nun wurden auf einem jeden Haussen vier Maleficanen mit Stri-
cken angebunden, alsdann eine Weibes Person, welche nur vier Jahr unter
ihrer Dotte gewesen, und den Brand noch nicht gehabt, decolliret; und
aus dem mittleren Haussen zu denen angebundenen vierem, welche nach ihrer
Charge oder Würde Ober-Capitain, Lieutenant, Fähnrich und Trom-
peter, genannt wurden, geworffen, darauf wurden alle drey Haussen, zugleich
angezündet, und in volle Flammen gelegt; und ob schon die Maleficanen ei-
ne gute viertel Stunde in denen umgebenden Klammern gelebet, so hat man
dennoch nicht das geringste Geßchrey von ihnen gehörret, und ohngeachtet,
dass si auch alle äußerliche gute Zeichen gegen die ihnen zufreichende Geißli-
chen haben söhnen lassen, so wöllet doch viele an deren Seligkeit zweifeln.
Dey dieser Compagnie wurde auch eine Hungarische Hebamme zu Ufche ver-
brannt, welche über 2000 Kinder ins Teufels Nahmen getauft. Mit näch-
stens soll das Urtheil überschickt werden. Es siken noch acht in Verbast, selbige
find auch schon geschemmet und gewogen worden, und halten die Heren Probe:
eine ist darunter, welche grosses Leibes ist, und soll der Satan, nach Aussage obi-
ger verbrannten Personen mit der selben umgegangen seyn. Gestern sind aber-
mahl 20 Personen eingezogen worden. Man erzählt unter andern, daß diese
Heren-Dotte durch Veranlassung eines Schusters Sohn entdecket worden sey.
Dieser spieldete eines Tages mit einem andern Knaben auf der Gasse, und sagte
unter andern dieses zu demselben: Heute will ich denen Segedötern einen
Spaß machen, denn sie werden vermeinen einen Regen zu bekommen,
sie werden sich aber betrrogen finden, ich will ihnen ein großes Wetter
machen, willst du auch mit halten? jener antwortete: er könne es nicht;
dieser versetzte aber; ich will dir es schon lernen, es ist ganz leicht, und
hat

vehementia caloris bullientem immitteret, ita ut cocta manus nocentem, illæsa vero per *miraculum* innocentem ostenderet. Laudat hunc ritum pariter *HINCMARVS cit. l.* & variis mysticis rationibus more suo munit. Ut vero miraculo diuino certitudo, credulis vero maior fiducia accederet, sacri ritus itidem cum *missa* & *exorcismis* huic probandi modo præscripti erant, quos recitat *MARTENIVS tom. III. de antiqu. eccl. ritib. lib. III. c. 7. p. 473-479. 490.* imprimitus vero p. 492. *Sqq.* Huic simile fuit (IV) iudicium per *ferrum candens* vel per *vomeres ignitos*, aut denique (V) per *rogum accensum*, quem probaturus innocentiam suam pertransire cogebatur. Vtriusque exempla iam supra §. VIII. & IX. adducta sunt. Alia addit *LEIBNITIUS tom. I. script.* *Brunswic p. 563. tom. II. p. 608. & tom. III. p. 309.* & *HEINIVS de probat. que olim fiebat per ignem & aquam p. 3. Sqq.* inter quæ eminet *KVNIGVNDÆ HENRICI S. vxoris probatio per vomeres ignitos*, quam refert *AVTOR vitæ S. Henrici apud CANISIVM in lect. antig. tom. III. P. 2. p. 20. edit. Barnag. Conf. PISTOR. tom. II. p. 329. edit. Struu.*

*Quarta per
terrum can-
dens & vomo-
res ignitos.*

*Quinta per ro-
gum.*

*¶ crucis iudi-
cium.*

§. XIX. (VI.) Per *crucis iudicium* probatio facta sine dubio eandem originem cum iudicio per *iuramentum ad reli-*

hat ihm, was er zu Machtung der Wetter gebraucht, erzählt; der andre aber sagte: nein, ich verlange es nicht zu lernen; und geben darauf von einander. Als es nun Mittag worden, und dieser Knabe bey seinen Eltern zum Essen war, erhob sich ein grausam starkes mit Hagel vermischtes Wetter, welches die dastigen Weingärten in Grund zu Boden geschlagen. Indessen sagte des Knabens Vater bey dem Tisch: dieses Wetter kan unmöglich von sich selber also seyn, es muß etwas gemachtes darunter stecken. Worauf sein Sohn ihm erzählte, was sich denselben Morgen zwischen ihm und des Schusters Sohn zugeratten: der Vater zeigte es so gleich der Obrigkeit an, da wurde des Schusters Sohn ohne Verzug dahin gebracht, welcher gleich alles gestanden und zugleich auch unterschiedene Personen angesagt. Diese wurden so dann in Verhaft gezogen, worunter auch ob bemeldeter Stadt Richter samt seinem Weibe begriffen waren.

reliquias vel sepulcra SS. habuit. Obseruauit Dn. PRAESES diff. de usu iuramenti purgat. in criminal. §. XII. sqq. iuramenti huius originem deducendam esse ex virtute miraculosa reliquiarum vel sepulcrorum martyrum, in quorum præfentia iuramenta hæc præstabantur, & credulis terror hoc modo incutiebatur, ne fidem temere fallerent, persuasissimumque haberent, Deum hoc iudicio veritatem miraculo modo reuelaturum esse. Pari ratione impositione cuius magna olim autoritas. vel presentia crucis, cuius magna olim veneratio, obseruantे LIPSIО de cruce c. XVI. atque miraculosa virtus eandem ingenerauit credulis persuasionem, hoc signo Deum occulta in lucem protracturum esse. DAMASCENVS lib. IV. de orig. fid. magnam cruci adsignat virtutem: est, ait, clypeus & armatura, & tropaeum contra diabolum, ne tangat nos euersor, iacentium erexit, stantium fulcrum, infra morum scipio, pastorum virga, resurgentium manuductio, proficientium perfec-¹⁶⁴⁸ tio, animæ conseruatio & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, stirpe resurrectionis, lignum vitæ æterne. Inde asylym configuentibus ad crucem in via positam præstatur in concilio Claromont. d. a. 1093. c. 29. sqq. Miraculosa virtutes crucis passim in actis sanctorum traduntur, vt sine hæsitatione superstitiosa probatio per crucem inde nasci potuerit, quæ tamen admodum varia se legitur, vnde tot interpretum sententiæ relatæ a CANGIO in gloss. voc. crux & a Dn. HOFFMANNO de orig. & nat. legum German. p. 35. Communior hæc ratio huius probationis fuisse videtur, vt contendentes vel crucem sibi imponerent, vt censet MARTENI cit. I. vel ad crucem ire & stare iuberentur, missa interim celebrata, ad cuius euangelii lectionem vel alium terminum iudicij euenter, nocens vero ad terram cadere dicebatur, quod indi-

DE PROBATIONE

cant testimonia apud CANGIVM cit. l. Improbatum tamen merito hoc crucis iudicium a CAROLO M. lib. I. capit. 102. apud BALVZ. tom. I. capitul. p. 724. Sanctum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere presumat, ne Christi passio, quae glorificata est, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur.

7) Probatio
per panem
execratum

8) per eucaristiā

9) per sortes

§. XX. Nouus probandi modus (VII) superest æque superstitionis per caseum vel panem coniuratum seu execratum, quem reus comedere iubebatur, eumque vomitu eiecturus credebatur, si delicto impunito sese maculasset. Rursus in missa, adhibitis exorcismis, quibus panis execratus ad hunc actum preparabatur, hunc ritum peregerunt superstitionis, cuius formulas recitat MARTENIVS cit. l. p. 479. & 482. Frequens etiam (VIII) fuit modus probandi innocentiam per eucaristiam, quem peculiari dissertat. explicuit B. SCHMIDIVS Theologus Helmstadiensis. Eius rudera ex concilio Wormatiensi, anno 808. celebrato, quo superstitionis modi probationum admodum visitati fuisse leguntur, ipso HINCMARO teste, repetit GRATIANVS in c. 23. C. 2. q. 5. vnde constat, hanc subeuntes probationem in hac verba iurasse: *corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Exemplis illustribus hanc probationem illustrat SCHMIDIVS, quæ rursus indicant, hoc iudicium electum fuisse, vt provocarent extra ordinem quoddam miraculum, quod causa non raro terribiles adiurationes & execrationes ante sumtam eucaristiam factæ, cit. l. §. 12. adductæ. Atque ita rursus apertum est, in summum abusum tractam fuisse eucaristiae perceptionem, a cuius fine prorsus hic modus probandi abhorret. Ulterius (IX) probatio peracta est per sortes, quibus tum diuinationes tum explorationes rerum occultarum fieri posse credebant gentiles vel TACITO teste; imo id quoque sortes Virgilianæ & Homericæ mon-

monstrant, mox a Christianis in usum sub titulo *fortium*
SS. Apostolorum tractæ. De modo peragendi hoc *fortium*
iudicium agit lex Frisonum tit. XIV. apud *LINDENBROGIVM in*
cod. leg. antiq. p. 496. Vnde liquet, in re dubia ex iis diu-
nationem magis sumtam, quam miraculum prouocatum,
quod exigebant in iudicio ignis, ferri carentis, aquæ frigi-
de, offæ execratae atque crucis.

§. XXI. Sed etiam (X) *iudicium putatuum Dei per* ¹⁰⁾ *per duel-*
duellum seu pugnam, probatum est, quod καὶ ἔξοχη ita di-
ctum fuit, ut loca non tantum §. VIII. adducta, sed et-
iam A V T O R vetus de benefic. § 100, denuo a B. THOMAS. in
select. feud. editus, docet his verbis: tamen IUDICIVM DEI
non est licitum adhiberi per ullam causam nisi cuius veritas per
iustitiam non potest aliter reperiri, hoc terminabitur IUDICIO
DEI. Legibus antiquis Boioaricæ vocatur *dæs* *Wehadinc*
testes *synodo Dingolfingana sub Thassilone* §. 16. repetita ab ill.
Dn. a LVDEWIG de princip. pot. in sacris ante pac. relig. c. 4. p. 96.
DINC enim est iudicium & Weha vel potius Webr, vti
VELSERVS lib. V. rerum Boic. legendum credit, denotat bellum,
vnde Gallorum Guerre ortum traxit. Ita autem in *Syno-*
do *cautum erat: de eo quod & si quis de quounque reatu*
accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pa-
cificare, h. e. transfigere, antiquam pugnam, quæ Wehadinc vo-
catur, permittat. Alibi *LL. Boioaricæ tit. XI. c. 5.* idem de-
signant. Si alia probatio non est, spondeam iniucem WEHA-
DING. Et cui Deus dederit fortiam & victoriam, ad ipsum
perireat. Ipsi *iudicia duellica* prolixiori apparatu expli-
cata sunt a MAVRITIO de duellis, EPHRAIMO GERHARDO de
iudicio duellico, BASNAGIO in rr. historico de duellis gallice
conscripto, aliisque, quæ adeo altas radices egerunt, ut
diurno tempore eradicari haud potuerint. Id pro-
dunt leges Longobardica lib. I. tit. 9. c. 32, incerti sumus de
IVDI-

IVDICIO DEI, multos audivimus per pugnam, sine iusta causa, suam perdere; sed propter consuetudinem gentis nostrae Longobardorum LEGEM IMPIAM vetare non possumus. Speciatim impietatem huius iudicij suo &uo ex lacris, adductis multis lententiis, denudauit AGOBARDVS in libro contra damnabilem opinionem, putantium, diumi iudicii veritatem igne vel aquis vel confictu armorum fieri.

Eucharistia
premissa,

a testibus di-
scernantibus
quoque sive
ptum.

imo a seruis
ecclie ex
privilegio.

§. XXI. Non regulabat modum huius iudicij, ab aliis satis superque explicatum, sed spicilegium tantum quoddam paucis adiiciam. Videlicet (1) nec hoc iudicium sine sacris peractum. Diserte AVTOR mirac. S. Bertini lib. 2. c. 15. apud MABILLON. in act. Bened. Sec. III. P. I. p. 142. n. 709. veniente igitur statuto die se duello preparabat tamen iuxta promissum, aliquos suo venturos auxilio, hoc ipsum abbate exspectabat. Itaque post celebratam a presbytero missam, deuota finita prece, eucharistia digne percepta, quod extra ecclesiam forte iacebat, super saxum magnum adsedit. (2) Si testes aderant, sed discrepantes, iudicio duellico, litem terminabant. ADREVALDV in mirac. S. Benedicti in Gallia apud MABILLON. in act. Benedicti sec. II. p. 381. circa ann. 653. testis est: Enimuero longiuscule litem iudicibus protrahentibus, eo quod nec hi cedere illis, nec illi assensum alii præbere vellent, tandem adiudicatum est, vt ab vitroque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scutis ac baculis decertantes finem controuersiae imponerent. (3) Etiam seruis monasteriorum per priuilegium, quod regulariter ius armorum non haberent, indultum, vt quascunque causas hoc modo decidere possent, maxime eccliarum & monasteriorum alia probatione destitutorum. Diplomate memorabili LUDOVICI VI. Francorum regis Theobaldo abbatii Fossalensi anno 1118. concessio id declarat MABILLON. in act. Bened. sec. IV. P. 2. p. 394. ut serui eius

IN CRIMINALIBVS SPVRIA.

41

eius monasterii aduersus omnes homines tam liberos quam seruos in omnibus negotiis liberam haberent testificandi et belandi licentiam. Sed hoc iudicium literis ad abbatem & monachos Fossalenses datis postea prohibuit pontifex. (4) Etiam in ipsis comitiis imperii, in quibus lites statuum imperii decisae, huic iudicio locus fuit. Anno 979. coram imperatore accusatus Gero

comes de Alesleue a Waldone, atque captus. Deinde conuocatis in Magdeburg cunctis regni principibus, ingressi sunt hi duo iudicio in insula quadam singulari certamine. Vulneratus Waldo bis in certamine ardens in sequitur hostem, percutiensque ictu valido in caput prostrauit eum. Interrogatus autem Gero si plus posset pugnare, coactus est confiteri, quod iam defecisset. Waldo egressus aqua refocillatus armis depositis & post tergum mortuus cecidit. Tunc Gero iussus est decreto iudicium & voce imperatoris a carnifice quodam decollari III. id. aug. Hunc lugubrem & lubricum habuit evenitum hoc iudicium descriptum in act. Bened. MABILLONII ad sec. V. p. 591. Plura alia memorata digna de iudicialibus duellis IDEM ad seculum XI. pertinencia tradit in prefat. ad sec. VI. P. I. §. 43. seq. His addo, (5) eius magnum quoque usum fuisse olim in causis feudalibus, legesque peculiares passim duellicis feudalibus datas, ut testantur leges antiquæ Flandriae feudales relatæ ab OLIVARIO VREDIO in hislor. comit. Flandriæ tom. I. in addit. p. 76. quarum seriem ipse met in compendio refert in ipso tractatu p. 474. seq. Ipsum processum duellicum, in causis feudalibus visitatum eleganter & solide exposuit vir immortalis memoriae B. Dn. a COCCELI de probat. feudi c. 2.

F

§. XXIII.

in per iuramentum.

§. XXIII. Tandem (XI) quoque his probandi modis certa ratione adiungendum ipsum *iuramentum purgatorium*, non quod *per se* medium veritatem exquirendi *ſpurium* dicendum, sed quod intuitu modi ex iisdem fluxerit principiis, ex quibus ceterae probationes *ſpurie*. Nunquam foli iuramento fidem præbuerunt: semper aliud accedere debuit medium, vnde fides ei haberi posset. Pariter *iudicium diuinum* quæsuerunt in iuramento: æque persuasum est contendentibus, Deum miraculo quoque veritatem manifestaturum esse, quod prouocarunt, & superstitionis mediis ambierunt, cu[m] variis testimoniiis probatum dedit Dn. PRAES. *diff. de uſu iuram. purgator. in criminal.* §. XII. seqq. Hac de causa foli iuramento, prout hodie fit, nunquam causa innocentia commissa, sed medium miraculorum simul adhibendum censuere. Quocirca α) post *iurandum*, quo innocentiam suam reus declarauerat, accedebat quandoque iudicium aquæ feruentis vel ferri carentis, cu[m] docent monumenta apud MARTENIVM tom. III. de antiqu. eccl. ritibus lib. III. p. 460. & CANGIVM in glossar. voce aquæ feruentis iudicium, p. 282. vbi lex antiqua: quicquid iurent, per examen caldariorum (aque feruentis) demonstrant. β) Quandoque aquæ frigidæ examen addebat iuramento, ex formula apud EVNDEM cit. l. p. 483. γ) Nonnunquam, præstito iuramento de *innocentia*, duello prouocabatur iudicium diuinum, obseruante GERHARDO de iudic. duell. cit. l. §. 5. δ) Sortis iudicium etiam post iuramentum præstitum usurparunt, quod leges Frisonum tit. 14. designant. ε) Quia vero plurimi ecclesiæ doctores his

his iudiciis dicam scripserant, excogitatum est aliud medium *miraculosum*, æque tamen superstitionis, vt iuramenta ad *tumulum martyrum* vel *reliquias SS.* fierent, quo virtute miraculosa martyrum vel reliquiarum Deus manifestaret veritatem. Hoc *iudicium diuinum* ab omnibus approbatum, laudatum, iustumque & verum dictum, oppositum illis, quæ a plurimis damnata erant. Ita vero probatio per *iuramentum* æque *spuria* fuit ac reliqui modi, ideo damnati, quod *Dei iudicium* per *miraculum* quoddam prouocatum fuerit. Idem tamen intenditur in iuramento ad *reliquias SS.* praestando: æque *superstitionis* est, reliquis eam attribuere virtutem, vt *signo extraordinario* veritatem manifestent, id quod tamen, qui huius iuramenti autores & promotores fuerunt, inculcarunt iuraturis. Denique omnibus his probandi modis vitium hoc commune adhaeret, quod iis tentetur Deus, prouocentur miracula, signa postulentur, & *iudicium diuinum* iis inesse credatur.

§. XXIV. His tamen non obstantibus per leges varias gentium, & conciliorum decreta hæ *spuria probationes* olim admissæ, & potissimum in *criminalibus* approbatæ atque specialius determinatae fuerunt. Nam vt (l) a *duellis* incipiam, ipse *F RIDE RICVS I.* in constitutione, quæ 2. F. 27. refertur, fanciuit, occisorem capite plectendum esse, nisi per *DVELLVM probare possit*, quod vitam suam defendendo illum occidit. Pariter 2. F. 39. §. 2. prouocatur ad *le gem Longobardorum*; qua cautum, ut *de infidelitate PV GNA* fiat. Nec minus imperator *HENRICVS V.* F. 2.

F 2

edixit,

Legibus te-
tamen olim ke-
probationes
spuria pro-
batae.
1) per duel-
lum

edixit, ut feloniae accusatus per pugnam se defendat. In LL. Baiuvar. lib. 2. c. i. §. 2. cauetur istudem; si unus fuerit testis, & alter negauerit, tunc DEI accipient iudicium exeat in campo, & cui Deus dederit victoriam, illi credatur. Passim alibi idem medium probandi his legibus probatur, de quo etiam plura habet Sueicum speculum a B. a COCCELI cit. I. §. 2. seqq. adducta. Conf. LL. Alemannice tit. 56. t. 84. LL. Normannice lib. 2. c. 46. §. 5. in reliq. MSCt. ill. Dn. a LVDEWIG LL. Longobardice lib. I. tit. 7. l. 4. item lib. I. tit. 10. l. 4. lib. 2. tit. 55. l. 11. 40. ius proct. Sax. lib. I. art. 62. lib. 2. art. 12. &c. (II) iudicium per ferrum candens vel aquam feruentem synodus Triburicensis c. 13. approbavit: Si quis fidelis libertate notabilis tanto talique criminis publicatur, ut criminofus a populo publicetur, per ignem candenti ferro caute examinetur. Nec minus concil. Remensi. c. II. & leges Frisonum tit. III. §. 6. 8. & tit. XIV. §. 3. idem probant cum LL. Ripuar. tit. 30. §. 1. LL. Longobard. lib. I. tit. 9. l. 29. 34. 39. LL. Wifigothor. lib. VI. tit. I. c. 3. ex edit P. PITHOEI p. 128. (III) iudicium aquae frigide magnopere laudauit HINC MARS RVS, receperunt iudicia occulta Westphalica eiusque leges, & prout ritus facri in hoc examine olim usitati demonstrant, etiam plures clerici & monachi, ab eo sine dubio alienissimi, si eius usum hanc approbassent. Quia tamen olim legum approbatio expressa huic probationi defuit, eam per mendacium EVGENIO II. obtrudere voluerunt, ut supra iam indicarum. Quoniam vero usus eius in Germania communis erat, eum ADELHEIDIS abbatissa Quedlinburgensis anno 1068. in diplomate a KETTNERO in antiqu. Quedlinburg. p. 169. relato approbavit his verbis: cum autem ali-

a) per ferrum
candens vel
aquam fer-
uentem.

b) per aquam
frigidam.

IXIBO

qui

quis illorum ob aliquam insolentiam incusatus fuerit, sive querimoniae villici accusatus, ferro ignito examineatur, aut FRIGIDA AQUA vel iuramento simpliciter sola manu expurgetur. (IV) Probationem per eucharistiam in concilio ⁴⁾ per eucharistiam. Wormatiensi admissam & stabilitam iam supra ostensum, nec ab ea recessit concilium Triburiente c. 21. (V) Iudi ⁵⁾ per crucem cito crucis fauent capitula synodalia PIPINI de anno 752. c. 17. apud BALVZ. tom. I. capitul. p. 164. capitul. Caroli M. de anno 779. c. 10. ibid. p. 197. item de anno 803. c. 35. ibid. p. 397. item de anno 806. c. 14. ibid. p. 444. item lib. IV. capitular. c. 34. LL. Longobard. lib. II. tit. 55. l. 24. (VI) ⁶⁾ per sortem. IUDICIVM fortis per leges Frisonum vim iuris accepisse, supra iam obseruatum est. (VII) In legibus KA- ⁷⁾ per panem excretatum. NVTI c. 6. panem excretatum probari obseruat CANGIVS voce Cornfield.

S. XXV. Enimuero damnarunt hæc iudicia Dei vulgo dicta pontifices, vt pasim ostendimus & tit. de vulgari purgat. plenius docet; imo quedam leges antique Francorum, vt aquæ frigide & crucis. Ex iis rationibus vero, quæ ab initio attrulimus, & fontibus, ex quibus deriuata, facile fundamenta peti possint, ex quibus vt spuria probationes reiici debent. Non repperi autem, probationi per eucharistiam dicam scripsi pontifices, quamvis vitio non careat, vt fusius probatum dedit SCHMIDIVS de probat. per eucharist. in f. Non alia, vt auguror, huius exceptionis ratio est, quam quod obseruauerint curiæ Romanæ proceres, GREGORIVM VII. se hoc medio a criminalibus obiectis purgasse teste LAMBERTO SCHAFNAVRG. ad ann. 1077. cuius autoritati vulnus graue insixissent, si æque hanc probationem damnassent,

cum parum absit, quin inter *santos* referatur, quod tam masculine pro imperio sacro extendendo & ampliando pugnasse legatur. Denique constat, *iuri iurando* etiam vim probandi innocentiam relictam, vtut vitio superstitionis non caret. Non repeatam argumenta *theologica & moralia*, quæ ab aliis, imprimitis a BECMANNO de *iudic. Dei c. 6.* allata sunt contra has *probationes spurias*, sed generatim duntaxat affero, illas æque fallaces fuisse, ac quidem quorundam theologorum varicinium, qui ex voce IVDICIVM, cuius literæ omnes numerales sunt, hoc tulerunt fallacissimum iudicium, extrellum iudicium anno 1613. aduenturum esse. Memorat hoc vaticinium ANDREAS in memorab. sec. XVII. lib. 2. c. II. p. 321. *Nufro* hoc seculo ex vocula IVDICIVM, in quo omnes literæ sunt numerales, non pauci collegerunt, anno 1613. iudicium ultimum & uniuersale futurum, eoque videtur D. Menzerus etiam theologus Gieffensis celebrarimus, & ab omni quidem fanaticismo prorsus alienus, collimasse in dedicatione exegesos Augustanae confessionis, quam hisce claudere voluit verbis: anno a nato Christi 1613. quem enumerat vox iam olim ominosa IVDICIVM. Non raro etiam male cesserunt hæ probationes illis, qui hisce se commiserunt, quod patet exemplo eius, qui, capta Antiochia in expeditione sacra, per ignem probare solebat, lanceam per reuelationem fictam effossam illam ipsam esse, qua Christi latus perforatum erat. Reuelationis & effosionis historiam tradit RAIMONDVS de Agiles in histor. Hierosol. relatus in gest. Dei per Francos p. 150 sqq. qui & transiit PETRI BARTHOLOMEI, hominis simplicis, in manu tenentis lanceam, per ignem p. 168. refert, qui adeo infeliciter ei cessit, vt post paucos dies

verfallacissima

& luctuosa.

dies obiret. Neque enim disimulat *cit. AVTOR p. 168.*
aliquam *adhesionem in craribus eius* fuisse. Planius &
apertius euentum sinistrum huius probationis **FVLCHERI**
RIVS CARNOTENSIS in *gesl. Dei per Francos p. 392.* enarrat,
quamvis **WILHELMVS TYRENSIS** *ibid. p. 739.* addat
a plurimis causam veram mortis eius disimulatam, &
suggestionibus monachorum creditum fuisse, eum il-
la sum per ignem transfuisse, de quo sine dubio longe
rectius contrarium retulit **MAIMBOVRG dans**

l' histoire des croisades lib. II.
tom. I. p. 177.

T A N T V M .

C O R O L L A R I A .

1. Actori non solum affirmanti, sed etiam neganti in-
cumbit probatio eius, quod intendit.
2. Negato notario veritas probanda non notorietas.
3. In probatione criminis testi oppositi quemuis admitt-
itur probatio.
4. Iusurandum est species probationis.
5. Iuramentum necessarium non solum in iure canonico, sed etiam ciuili fundatum est.
6. Iuramentum non est cultus diuini species.
7. Iuramentum in actibus prohibitis nihil operatur.
8. Mors non habet absolute vim iuramenti.

F I N I S .



IN CRIMINALIS SPAGA

THE MUSICAL INSTITUTE

卷之三

Digitized by srujanika@gmail.com

Digitized by srujanika@gmail.com

10. The following table gives the number of hours of sunlight received by a certain town during the month of June.


Halle, Diss., 1732 (1a)

ULB Halle
003 120 813

3



St



1732 36
73

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
PROBATIONE
IN
CRIMINALIBVS SPVRIA

QVAM
INDVLTV FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE
ACADEMIAE PROFESSORE AC DIRECTORE

DN. IVSTO HENNINGIO BOEHMERO, ICTO
POTENTISSIMO REGI PORVSS. A CONSILII INTIMIS
ET ORDINIS ICTORVM VICARIO PRAESIDE P. P.
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO AETERNVM COLENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN IVRE CAPESSENDI HONORES
D. NOVEMBR. MDCCXXXII.

H. L. Q. C.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
ARNOLD ENGELBERT BVSCHMANN
RVGIANVS.



HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGRAPHI.
MDCCXLV.

(6)